

II. Georg. Joseph. Camel. *De Plantis Philippensis Scendentibus; Pars 2da. Ad Jacobum Petiver, S. R. S. nuper transmissa.*

Se<sup>t</sup>t. V. *De Scendentibus Folliculoſo-Siliquofis.*

61. **A** Pocynum LUZONIS 1, seu Aniipolanum. *Indis Balana.* Fructum fert formæ & magnitudinis habitioris *Mangæ*, spithameum, viridem, copiosissimè lactescensem, lacte candidissimo, spisso, nec viscoſo. *Semen* compressum, magnitudine unguis digiti indicis, creberimum, in oblongum glomum imbricatim congestum, flavescens, & uncia longioribus, argenteis, & sericeis caudatum floccellis. *Ex* altissima dejectum arbore habui Fructum. *Florem* & *Folia* observare non licuit.

62. Apocynum LUZON. alterum. *Indis Tugtungajas,* i. e. *Viperinum*, eo quod eo Serpentes virides specialiter gaudeant; *Folia* gerit sibi opposita, ferme palmaria, similia folijs *Hingio*; *Fructum* orbicularem *Aurantio* parem latere uno fere digitum latâ cristâ alatum, ex viridi & albo variegatum, edulem cum tener, uniforem ubi cristatus, qui glomum continet *Seminis*, similis semini *Balana* super spongiosam matricem conglobati, in aurâs avolantis.

63. Apocynum LUZON. 3. Maycatense, *Viticulis* scandit creberrimis, vietis, geniculatis, lactescentibus. *Folia* promit *Hingio* similia, *Tugtungajas* majora, ex viridi pallentia, *Florem* frequenter, pentapetalum, radiatim in binum corymbum, seu umbellam congestum, graveolentem, flaventem. *Fructum* quadrangularem, tetraforem, viridem, spithameum, in mucronem desinentem, continentem

nentem *Semen* squamatim congestum, lajuscum, simile Semini *Balana*, sed protensoribus, argenteis, & papposis filamentis, *Cometæ* ad instar caudatum.

Fig. 64. *Apocynum LUZON.* 4. *Maragondonense.* Indis Dugtungahas i. e. *Colubrinum*, Hispan. *Palo consuelo de la culebra*, alijs *Palo de la cavezza*. Minime autem *Ligni Colubrini* nomen adeptum est, quod Viperarum succurrat moribus ut *Manungal*, sed quod Serpentes vulneratos hujus Plantæ folijs sibi medeti observatum fuerit, unde Indi eodocti, & folijs & lignosorum fermentorum, que fere brachialia, scobe, ad conglutinanda vulnera recentia prosperrime utuntur. Hujus convolvuli lignosi, fermenti materie albet, porosa est & spongiosa, levis & insipida. *Cortex* crassus, striatus, fissuris plurimis diductus, seporis subadstringentis, *Liber* interior tenax & corticosus. *Folia* sibi opposita; villosa, *Laurinis* latiora; *Radix* subdulcis: *Follicos* fructus ex subrotundo ventre in teretem & ferme spithameum abeunt mucronem, *Seme* referti mediocri, ut reliquæ *Apocynorum* species.

Fig. 65. *Apocynum LUZON.* 5. *Taytayense.* Indis *Hingi guag*, i. e. *Hingi Corvinum*. Pro Flore dat candidas stellas, odoris *Jasmini*, in ramuscotorum summitatibus exeuntes, quibus succeedunt. *Siliquæ* compressæ, scabie variegatae, dígito auriculari tenuiores, sed sèpius pedes duos longiores, pullæ, & semine pappo coronato repletæ: *Folia* pulchella, lètè virentia, sena communiter uno in ramusculo. Ipsa planta Fruticosa est, longis flexibilibus, & lacte glutinoso scatentibus virgultis scandens, & alijs supersterni gaudens.

66. *Apocynum LUZON.* 6. seu *Hingiguag Antipolanum*. *Folia* communiter 4, opacè virentia, palmum longa, sesquiunciam lata, uno gerit in ramusculo, ex quorum apicibus ex frequentibus ramulis, creberrimi *Flores* in *Siliquas* 12 aut 15 spithameis, senis aut pluribus orbicularibus ventribus gratiosè extuberantes, abeunt: *Semen* parvum, appenso pappo ut quinti. Tota Planta uberrimè viscofo gaudet lacte.

67. Apocynum LUZON. 7. seu *Piscatorium* fluvij *Ma-*<sup>Fig.</sup>  
*nilenis* 1. Gratiola & scandens est Planta, *Folia* emittit  
 bina ac bina, uno longiori inhærentia pediculo, raro palmum  
 longa, communiter uncialia & sesquiuncialia, nigro viren-  
 tia, terfa, quæ masticata primùm adversi sunt saporis, mox  
 fauces potenter acreidine vellicant. Contusa cum alijs  
 punctioni deserviunt medicæ. Ex medio connexionis  
 foliorum, flagellum in summo trifidum, in foliola minima  
 abiens procedit. Ad apices verò, uti & ad foliorum alas  
 plures proveniunt *Flosculi*, qui ex 12 viridibus, crassis,  
 teretibus seu cylindricis componuntur *foliolis*, quorum um-  
 bilicum, flavescens globulus, ex minimis compilatus sta-  
 minibus, occupat; flosculi *Rosarum* mixtum *Cinamomi* sua-  
 vissime respirant odorem. *Siliquæ* pusillæ ex tereti mu-  
 cronatæ, unifores 12 aut pauciores in unum quasi congesti  
 corymbum, *Semen* habentes parvum, oblongum. Provenit  
 ubertim ad fluvii *Manilensis* ripas a Horto *D. Quintero*  
 villa *S. Petri* usque. *Indi* *Itmoitmohan* vocant. Folijs  
 éontus utiliter perfricant *Lepam Cascado*; succus illitus.  
 tumefacit.

Fig. 68. Apocynum LUZON. 8. seu *Malateense*. *Folia*<sup>Fig.</sup>  
 habet sibi opposita, sesquiuncia longiora, ex rotundo ob-  
 longa, atrè virentia, in vietis & teretibus viticulis: *Florum*  
 muscosorum, ramosi & spithamei racemi una cum caulinis  
 ex atro purpurei sunt. Seminis *Siliquæ* sesquiunciales,  
 vix calatum scriptorium crassæ, virides, ex tereti mucro-  
 natæ. *Semen* parvum, latiusculum, nivea comatum ex-  
 sare.

69. Apocynum LUZON. 9. *Viticulis* attollitur scanden-<sup>Fig.</sup>  
 do teretibus copiose lactescentibus & helvâ lanugine pu-  
 bescentibus. *Folium* est hederaceum, amplius palmo unô,  
 longum sesquipalnum, sibi oppositum, per palmaria inter-  
 valla exiens, subasperum: *Flos* parvus, pentapetalus, phæ-  
 niceus, racematiū cohærens. *Fructus* bini, ac bini, fere  
 sesquipal mares, calatum *Anserinum* crassi, unifores, & sub-  
 hirsuti

hirsuti lobuli. *Semen* longiusculum, comatum floccellis ut reliquorum.

Fig. 70. Apocynum LUZON 10. *Indis Dugtungas* ut 2 & 4. *Folia* promit per sesquipalmaria intervalla bijuga, unâ cum pediculo spithamea, palmo latiora, glabra, & crassiuscula. *Flos* congeritur ad foliorum genicula ter trinus, aut crebrior, parvus, viridis, stellatus, cui feminis succrescunt *Siliquæ* palmares, aut longiores, quasi ex binis calamo scriptorio crassis in unam coalescentes, seu in ipsa conjunctura carinulatae & fistiles. *Semen* viride, longiusculum, compressum, argenteo caudatum pappo.

Fig. 71. Apocynum LUZON. 11. seu Silanense. *Cauliculis* scandit rotundis; *Folijs* luxuriat pulchris, sibi ex adverso provenientibus, succosis crassioribus, nervis ceu altius prostantibus porcis concinne exaratis, mucronatis, bipalmum longis, palmum latis. *Flos* ad foliorum exiens sinus, in longiori pediculo, duodenus, in corymbum dispositus, & majusculus, estque monopetalus ceu campana, flavescent inferne ad plicas purpurascens, cujus labia quinis fuscis hiatibus, in unum interim coactis, aut coalescentibus supernis marginibus. *Fructum* non observavi, *Lanigerum* suppono.

Fig. 72. Apocynum LUZON. 12. Macatense. *Folia* communiter 4 in uno ramusculo, ex quorum apice *Flores* 5 aut 7. albi, stellati, mediocres, ad medium ut *Flores Borraginis* nigris staminibus umbilicati.

Fig. 73. Apocynum LUZON. 13. *Indis Tibalan* seu *Piscatorium* secundum. Seandens est Planta & lactescens, ut reliqua. *Folia* mittit communiter 9 uno in ramusculo, & haec fere spithamea, uncias 2 lata, in mucrone desinentia & nervis a medio in marginem recte excurrentibus, & è regione oppositis exarata. Lenta, tractu contumacia, & lactescens farmenta, punctioni deserviunt medicæ, cum folijs *septimi*, *Camaesæ*, & *Laetang fructu*, *Banulad*, *Burao*, *Tigao*, *Table* & *Culisao*, &c. *Tibalan* vel *Tabal* lac venenatorum animalium morsibus medetur.

74. Apocynum LUZON. 14. Indis *Hingi*, *Hingib* & Fig. *Hingio*. Est unum ex magis usualibus *Ligustris*, cujas lenta, vieta & fractu resistentia sarmamenta ad quævis occurrentia liganda deserviunt. Volubilis est Planta, scandens, lactescens, magna, folio sibi opposito, sesquipalmari, palmaris latitudinis, simili *Aesclepiadis* folio. Pro *Fruſtu* siliqua lanigera.

75. Apocynum LUZON. 15. Seu *Ligustrum Indorum* è celebrioribus 2, est *Bagungbung*, *Calvigensibus Bacungbacung*, alijs *Haenaiag*: Hujus Sarmenta precipue expetuntur & adhibentur ad anfractuosas, & labyrinthicas sepes, ex *Cannis* paratas, deligandas, quoniam submarina quasi perennant, quas per maris littoralia longius excurrentes disponunt ad *Pisces* fallendos. *Lac* internè exhibitum prægnantibus Abortum causat. *Ligustris* adnumera & *Camagsa*, *Togtag*, & *Sagacag*.

76. *Tubre*, *Tugle*, vel *Tugli* aut *Table*, alijs *Cassli* Boholensis scilicet, Tanaguanensisbus *Topoc*. Ni fallor species est *Apocyni*, pro *Fruſtu* etenim mittit *Siliquas*, semine sericea lanagine impletas. *Volvulus* est lactescens, piscationi deserviens medicæ, suâ acrimoniam molestat ut *Radix Camaæſæ*, *Euphorbij* scilicet modo: *Lac* Oculis inspersum excæcat. *Byſaiarum* Indi Sarmenta, quæ fere sunt brachialia, suo adjiciunt oleo *Polycreste*, *Haplas*.

77. *Tubre* vel *Tugle* altera. *Folia* fert composita, com- Fig. muniter ex alijs 7, alternè provenientia: Particularia verò conjugatim, claudente septimo seriem, sunt autem sesquiunciam lata, palmum, sesquipalum, & amplius longa.

78. *Tuguitugian* deobſtruens est, & insignis vulneraria.

79. Apocynum LUZON. 17. Seu *Arboribus* tantum in- Fig. nascens 1. Indis *Capalcapal*, *Visci* modo *Cannis*, & Arboribus vetustioribus, aut putridis innasci solet. *Folia* communiter habet palmaria, digitum lata, obtusa, crassa ut *Sempervivum*, & his crassiora, lævia, & copioſe lactescētia, ex opposito exeuntia, in teretibus viticulis, imo nonnunquam in plantâ luxuriante vitiosè folia palmum unum, aut sesquipalum lata, & spithamæ magis, aut minus longa. *Flosculus* binus ac binus exit ad foliorum angulos, pusillus,

( 1768 )

& candidus. *Semen* parvum plumbosâ cæsarie ornatum, in trigonis & folliculosis filiisque.

80. *Apocynum LUZON.* 18. seu *Arboribus* innascens alterum s. *Antipolanum*. *Folia* exerit unâ cum pediculo spithamea, uncias trinas lata, crassiuscula, & fere uno in ramulo, lactescientia. Planta tota lactescit, nec scandit ut reliquæ *Apocyni* species, sed quasi arboribus inserta, in aliquot abit ramos, quorum apices in florigeram desinunt umbellam ex 11 pluribus aut paucioribus flosculis constantem, qui formæ florum *Borraginis* sunt, candidæ scilicet & pentapetalæ stellulæ, pallido limitatæ auro, uti & hamatâ umbicatae coronâ. *Fructum* non vidi.

Fig.

81. *Apocynum LUZON.* 19. seu *Arboribus* innascens 3. Variè serpendo per arborum caudices, *radices* ijsdem insertas agit sat crassas, & lignosas. *Folia* formæ foliorum *Phyllidæ*, crassa, exsucca, terfa, nervis parentia, excepto medium secante. *Flos* ex tubulo pentapetalus, coloris cinnabarini, in gratiosam congestus umbellam, trinus semper ex uno pendet calyculo, & crocatis staminibus repletur.

Fig.

83. *Apocynum LUZON.* 20. *Ligustri* loco deservit Indis. *Folium* subrotundum, hederaceum, succosum, suave, conjugatum, splendens. *Flos* frequens in umbellâ, virens, pentapetalus, rotundifolius, inodorus. *Sarmenta* tenacissima & lenta.

## Sect. VI. Scandentes Bacciferæ folio bijugo.

Fig

83. *Periploca* 1. legitima & usualis. *Candotay vel Can-dotan* Indis. Yerba del pedo & Yerba de la mierda Hispanis. Rependo & scandendo quæque vicina amplectitur, quibus se se involvendo arctissimè innectitur. *Folia* habet *Asclepiadis*, e regione opposita, palmaria, non lactescunt. *Flores*, in 4 e foliorum geniculis prodeuntibus, semper ter trinè ramosis & longioribus pediculis ; creberimi, gratiosissimi, ex niveo purpurascentes, campanulati, c. oris crenatis, racematin congreruntur, quibus *Fructus* orbiculares, primùm virides, maturi rubentes, coronati, *Piso* compares succe-

succedunt, *semine* referti. *Folia* *stercus* *fœtidissimum* olent, hinc *Stercerariam* vocant. *Decoctum* laudatur in *Urgy* *Urinæ* retentione, *Vertigine*, *Febribus*, & ad casum ex alto, ad diisolvendos scilicet sanguinis concreti grumos, potum: Alij in enemate ad *flatus* discutiendos commendant. Alij in *Urinæ* retentione exinde balnea parant vaporosa, magma pubi imponendo. *Wilhelmus ten Rhyne* *Folia Stercoraria* & *Foelo do Pedo* vocat, & ad *Lepram* commendat.

84. *Periploca* seu *Candotay* altera. *Folijs* gaudet subro- Fig.  
tundis, bijugis, palmaribus: *Flores* albi, stellati, in ramosa,  
seu semper in binos subdivisa ramales, quasi *umbellā*.  
*Fructus* est bacca, mucronata, *Piso* suppar, 5 folio caliculo.

85. *Periploca* s. *Candotay* 3. *Lianensis*. *Volvulus* est Fig.  
laetescens, folij sociati, angusti, sesquipalmaris, unciam lati,  
crassiusculi, & subhirsuti. *Viticula* compressa sunt, striata,  
vieta, subhirsuta. *Uss* foliorum ad *flatus* pellendos.

86. *Periploca* s. *Candotay* 4. Similis est 3, sed *folio* Fig.  
hederaceo, palmum lato, & sesquipalmum longo, ex adverso  
appenso. *Radice* exiguâ, glumosa, s. grumosa, inæquali, &  
verrucosa, ut *Radix Scrophulariæ*.

87. *Coliyat*. *Volvulus* est maximus, *Prunifer*; *Folia* ferens, Fig.  
sibi opposita, spithamea, ferme sesquipalmum lata. *Fructum*  
promit copiofissimum, in maximis racemis, binum ac binum  
ab uno pediculo hærentem, magnitudinis *ovi Columbini*,  
aut majorem, ex flavo rubentem, carnosum, continentem  
*nucleum* formæ & magnitudinis glandis *Quercinæ*, edalem,  
saporis *Castaneæ*, si igne coctus fuerit. Abundat in monti-  
bus *Antipolo* & *Paynam*.

88. *Smilax LUZON.* asper major, *Indis Malaitmo*. *Con-* Fig  
*volvulus* est magnus, *folio* rigido, nervoso, & *Malabathri*  
*folio* majori, trinervio, & sociato. *Fructus* sunt acini,  
*Ceraso* maiores, lutæi, carnosæ, amari, & in hotrum congesti,  
continentes binos, compressos, corneos, amaricantes, &  
asperâ ac albâ cuticulâ intectos arillos.

89. *Smilax LUZON.* asper alter. *Manambuc, Panam-*  
*boc, & Tspaffin Indis.* *Volvulus* est cuius *Sarmenta* trium sunt  
*unciarum in diametro communiter, verò ferme verrucosa*  
*sunt, & crassa, ut *Macabubay*, & similiter senectas deponunt,*  
*& exent Serpentum modo, ut illius.* *Folium* nonnisi probè  
*masticatum, leviter morficat, hederaceum est, *Betele* folio tere*  
*simile, sed tenerum, & molle, alternè exiens, trinervium;* *Fru-*  
*ctus* sunt oblongi, *Avellana* minores, virides, mox lutei, tan-  
*dem coralliti acini, in racemum cohæreates, & bini, aut trini ex*  
*uno pediculo:* *Mucagine, & unico, duriusculo, aspero, cuius*  
*medulla amara est, officulo referti.* *Flos* albus est, parvus,  
*tripetalus in triungui calyce.* *Radix* deforis flavefecit,  
*cortice est crasso, & carnoso, ut *Zarzaparilla*, & ut hæc*  
*longissimè prorepit, crassa digitum, recenter eruta, & degus-  
tata ex levi amaritudine dulcescit, mox acredine molestat.*

### Sect. VII. Scandentes Bacciferæ trifoliæ.

90. *Clematis trifolia vulgaris.* *Calitcalit, Gavilan &*  
*Panopol Indis.* *Folio crenato, obscurè virenti, & parte*  
*alterâ subhirsuto, & communiter trino alternè e viticulis*  
*prodeunte, vicinis superinsternitur, & irretitur.* *Flores qua-*  
*drifolij sunt, & herbacei.* *Quibus Baccæ primâ viri-*  
*des, mox nigræ, succo morello plenæ, trinæ, ac trinæ*  
*cohærendo in corymbum succedunt.* *Vulneraria, &*  
*consolidans est, cuius folijs contusis, & sub cinere coctis,*  
*succoque expresso, vulgus, & ad emollienda *Ulceræ*, & ad*  
*mundificanda & consolidanda rupta, & fracta, extirpandas*  
*Lichenes, & detergendam Scabiem utitur.*

Fig.

91. *Clematis incana.* *Calitcalit maybula Indis.* Similis est  
 vulgari, sed ad tactum tota suavis, ob molliusculum pilum,  
 quo tota planta incanescit.

92. *Clematis monstruosa*, seu *Calitcalit maxima*. *Folia gerit*  
*heptaphylla, glabra, & læte virentia, majora quam sint*  
*Clematidis acetosæ: Flagella sesquibitalia;* *Sarmenta Viti*  
*Viniferæ similia, brachium crassa;* *Acinos* in corymbo, ut  
*Clematis vulgaris.*

93. *Oxyclématis*

93. *Oxyclematis trifolia*. *Calitcalit masuca*, *Aijo* Indis. Fig. Similis est priori, sed folijs majoribus, quæ & pentaphylla evadunt, profundiùs incisis, copiosiori, & acetoso succo turgentibus, ad quorum nexus longiores protuberant *capreoli*, quibus fulcitur sese innectendo. *Flores* quasi in umbellâ, flavescentes, tetra-aut pentapetali, quorum umbilicum calyxculus ventricosus occupat. *Flores* in acinos abeunt, ut prioris, sed majores. Planta vulneraria est & febrifuga.

94. *Clematis LUZON*. 3. seu Major, sive *Vitis sylvestris*. Fig. *Indis Bica* & *Malauva*. *Planta* est scandens, trifolia, in quibus-dam *Viti Sylvestri vinifera* similis, pilosa. *Folia* subrotunde crenata, sesqui palmum & longa & lata. *Botros* fert Magnos, *acinos* habiliores, asperos, subdulces, nigros aut etiam incarnatos ut *Silanij* vidi, fœtentes.

### Sect. VIII. Scandentes *Bacciferæ*, folio alterno.

95. *Vitis Sylvestris LUZON*. altera. *Bulacan* s. *Burasan limbahon*, i. e. folij rubri *Guiganenibus*. an *Altragenia Theophrasti*? *Volubilis*, scandens, & lactescens est planta, inter saxa ad fluviorum Margines provenire gaudens. *Sarmentis* est viticeis, rubris, quandoque dodrantem crassis, *Foliis* Vitis vix non similibus, infernè subhirsutis. Utuntur ex recife longiori faremento, aquoso, & insipido lacte, ad 34 pro doni propinando, quod suavissimè & sine illâ molesta alvum subducit. Alij nihilominus alvum potenter deturbare ferunt, unde in colicâ, & animalium venenatorum morsibus commendant, imo & in paucâ quantitate exhibitum abortum causare, & fœtum mortuum expellere affirmant. *An Bexucus Peruanus* purgans *Godofredi le Brun*? quem C. *Clusius* *Attragenæ Theophrasti* farmenta esse suspicatur.

96. *Bulacan foliorum viridium*, ob vehementiam quâ operatur in usum non venit; hujus-ni fallor erunt effectus, fœtum pellere, & alia, quæ supra.

97. *Vitis LUZON*. sylv. 3. *Ottoniensis*, Spontanea est Fig. & *Corinthiacæ* æmula. *Pampini* vix palmares, trilobati, *flosculi*.

( 1772 )

*flōsculi* herbacēs, pentapetalī, *Uvæ* ut *Corinthiacæ*, in parvis racemis quasi in umbellā.

Fig. 98. *Alanguilang scandens*, seu *Hinlalagac*. *Volvulus* est fructūs Rosei, acido-dulcis, tantillum pilosī, racemo appensi. *Mariquinae* exit.

Fig. 99. *Vitis Ulceraria*, Alexandri. *Planta* est scandens : *Folia* hederacea, trinervia, crenata, splendicantia, sequipalmaria, quæ degustata quidam acidi sapient, mox fauces morsicando vehementer exasperant. *Flores* parvi, albi, tetrapetalī. *Baccæ* Magnitudinis *Piperis* & majores, in acumen abientes, ex aduerso foliorum racematis propendent. Magni aestimant hanc plantam *Indi*, qui foliis contusis emplastri modo in Ulceribus putridis, antiquis, manantibus, sordidis, schirrhosis, callosis, fistulosis & cancerosis utuntur, præcipue verò in Ulceribus saucium in collutione. *Abscessus præterea*, & *Apostemata* emollit, & rumpit, ut *Alypaiong*.

Fig. 100. *Viticella*, *Balagundugut Indorum*. *Perpusillus*, elegans, & gratiosissimus est *Volvulus*; *folia* incana, quinque nervia, alterna, corda effingentia; *Flōsculi* minimi, albidi, muscosi, quasi in corymbum coeunt; *Baccæ* lätè rubentes, qualia *Sardois* harent *Corallia* saxis, piso minores, foliorum congeriei imbricatim immixtæ, pulchellos concinnant racemulos.

Fig. 101. *Malabanag*. *Scandens* est *Planta*, habens *folia*, 5 nervia, alterna, similia *Banag*, i. e. *Pseudochina*, ex aduerso foliorum umbellæ *Florum*, inodorum, ex viridi flavescentium, hexaphyllorum, quibus *Baccæ* rubræ, parvæ, insipidæ, lento glutine turgidæ, *Piperi* pares succedunt. *Semen parvus* est *Phaseolus*.

Fig. 102. *Coccus volubilis*, *Indis Lobato*, *Libato*, & *Bredotali*: *Hortensis* & duplex *montanus*, *Naicensis* & *Maislanus*. *Hortensis* *Planta* est scandens, succosa, vesca, tenera, amans umbrosa & uda. *Viticuli* crassi, teretes. *Folia* carnosæ, ampla, fere sphærica, in mucronem vergentia, flavescentia, terfa, & nervis expertia, alternè appensa. In summitatibus ramuscilorum e regione foliorum unciales, aut sesquiunciales

ciales racemuli, sessilibus, coccineis, piso paribus, succoque chermesino exuberantibus *baccis* onusti, saporis nullius manifesti. *Semen* orbiculare *Coriandro* minus. *Flosculi* calyculati, erubescentes. *Radix* coloris nativi, succosa, nodosa, verrucosa, & *scrophulariae* modo multifariè inæqualis, & divaricata. *Succum* *Indi* ad caloris æstum in Febribus attemperandum propinat. Vescuntur folijs decoctis, & in acetarijs crudis. Ex *Baccis* syrupum paravi coloris coccinei, ad Julepos Febricitantium pulchro imbuendos colore perutilem.

103. *Coccus volubilis sylvestris*. Pariter edulis est ; *Folia* tenera, succulenta ut *Portulacæ*, terfa, priori majora, ex atro virentia. *Folia* suppurationem adjuvant adimposita ; *De-*coctum alvum emollet.

104. *Cubeba Officinarum*. Plantam *Indi* Naple, Dalihu-pa & Buyonibun, i. e. *Betele-Corvinum*, vocant. Hæc non ut *Betele* seu *Itmo*, *Mala-Itmo*, *Lilit* ac *Sabia* alijs inhærendo scandit, sed vicinis sese acclinando, ac superin sternendo luxuriat, estque Planta amans umbrosa, crebrò ramosa, ramis solidiusculis, geniculatis nec vietis, ut reliquæ *Piperis* species, folijs obscurè virentibus, parvis communiter, feli quiuncialibus, quinis fulcitis nervis, aromaticis. *Fructus* qui racematum propendet, maturus coloris est incarnati, *Semen* habens album, orbiculare, acriuscule, aromaticum. Hæc *Baccæ* cum *Clusi* descriptione collatæ, legitime sunt *Cubeba Officinarum*. Racemuli sunt sesquipalmares.

105. *Piper nigrum*. *Hederæ* modo arboribus irrependo, & geniculis Sarmentorum (quæ brachio crassiora) radiculas emitendo, & specialiter Arbori *Dapdes* (ob mollius culum & succosum corticem) innasei gaudet & vitiosè luxuriat. Crescit in *Leyte*, *Oton*, *Pana*, & *Mindanao*. *Fructus* in racemis, acini maturi rubent. *Piper nigrum* sunt acini virides collecti : *Album* sunt acini maturi collecti, sed unius plantæ fructus.